

serunt. Festo Iohannis beati evangeliste viri qui arcem Montis-Silicis servabant, postquam a Paduanis auxilia sibi fieri non viderent, arcem tradunt Cani. Illi abierunt. Tunc omnis regio circumstans<sup>a</sup> Cani paruit, iussa peragunt. Commeatum omnium<sup>b</sup> rerum ad exercitum Canis conportant, qui Montem-Silicem in radicibus montis fossa latissima, vallo et turibus<sup>c</sup> ligneis munit. Distat Padua hoc oppidum per decem passuum milia, per medium agrum Paduanum in ea regione fluvius non profundus<sup>d</sup> decurrit<sup>e</sup>. Regio media inter hunc amnem et Paduam ab hostibus erat illesa<sup>e</sup>, rerum omnium oppulenta<sup>e</sup>. Paduani ad regionis tuitionem<sup>f</sup> equites VI<sup>o</sup> et pedites non paucos mitunt<sup>e</sup>, qui in fluminis ripa habebant<sup>g</sup> stationem. Canis ad flumen copias suas<sup>h</sup> ducit. Cum ad fluvium equitatum perduxisset et transire cepissent<sup>i</sup>, Paduani trepida fuga diffugiunt, plurimi tamen capti, quibus aufugere pudor erat. Ville regionis occupate direpte sunt maximis spoliis, preter<sup>k</sup> cetera spolia nobiles eque probetarie<sup>l</sup> cum pullis suis sunt capte, quas Canis transmissit<sup>e</sup> Veronam. Post has belli clades Paduani de pace petenda statuunt, mitunt<sup>e</sup> legatos ad senatum Venetiarum et ad ducem, ut mediatores pacis pro eis agant cum Cane eorum arbitrio. De pace agitur. Componitur inter partes mediatoribus Venetis. [Sicut<sup>m</sup>] Cani placuit de conditione<sup>n</sup> pacis, sic est actum. Inter cetera plurima actum est, ut omnes exules Paduani redirent in domos, ut exules Vicentini, Veronenses et Mantuani<sup>o</sup> Padua excederent, ut omnia munimina sita agro Paduano, que Canis occupaverat, essent iuris illius perpetuo<sup>p</sup>. Insuper et castrum Baldum, quod non occupaverat, situm secus flumen Aticem, ubi Paduani flumen catena clausuerant, constructa et turre in altera fluminis ripa, que iuris Veronensium<sup>q</sup> erat, Cani permititur<sup>e</sup>, ut sit perpetuo<sup>p</sup> iuris Veronensium. Fuit etiam in federe<sup>r</sup>, ut Paduani prestarent<sup>s</sup> Cani, cum

---

a) 'circostans' Hs.    b) 'om̄' Hs.    c) So Hs.    d) 'profundus' Hs.    e) 'illexa' Hs.    f) 'tutionem' Hs.    g) 'hebat' Hs.  
 h) 'sua' Hs.    i) Auch die Uebers. hat hier den Plural: 'et quegli avendo cominciato passare'.    k) 'pnt' Hs.; 'Et tra l'altre prede' Uebers.  
 l) So Hs., mir ist ein solches Wort unbekannt, es ist in der Uebers. weggelassen.    m) 'Sicut' habe ich ergänzt; 'et fo facta la pace come piacque ad miser Cane' Uebers.    n) 'gdition' Hs.    o) 'Matuani' Hs.  
 p) 'pp' Hs.    q) 'Veronesium' Hs.    r) Es scheint nichts zu fehlen, auch die Uebers. hat nur: 'Ancora fo de patto'.    s) 'instarent' Hs.; 'prestassero' Uebers.